

inter Contribuentes elaborabitur, illa debite pro futuro observetur, neque sine graui ratione & publica Comitatus Determinatione in quopiam immutetur; ac in reliquo etiam ea, quae Leges Regni & signanter Articulus 63 Anni 1723 in praemissis praescribunt, exacte observare teneantur.

Tertio. Processus & Litigia, quae inter Terrestres Dominos vel alios Nobiles ibidem vertuntur, ac Vi Legum Hungariae & Croatiae Foro Comitatus dijudicanda competunt, Magistratus pro administratione Justitiae per Partes suo modo requisitus & interpellatus, servatis de Jure servandis, in Comitatu sibi concredito dijudicanda assumet & decidet, Partibusque Justitiam juxta Regni Leges exactae & celeriter administret, admissa pro qualitate Causarum & dictamine Legum intra vel extra Dominium, si Causa Appellabilis sit, a Vice-Comite & Judicibus Nobilium, in Partibus (uti dicitur) procedentibus ad sedem Judiciariam Comitatus, singulis annis quoties necesse erit in Comitatu debite aequae celebrandam, inde autem ad Tabulam nostram Banalem Appellatione; occasione vero celebrandarum Sedium Dominalium Judex Nobilium cum Jurato Assessore praesentes semper aderunt, & ibidem diligenter illa, quae iisdem secundum praescriptum Legum incunbunt, curabunt. Quod si autem in Slavonia & Syrmio tales Causae occurrerent, quae antecederent jam per Instantias, quas hactenus habuerunt, finaliter decisae et superatae fuerunt, tunc Res judicata pro tali relinquatur & maneat amplius coram Comitatu non resuscitanda; pendentes tamen, seu ibidem jam praeviae inceptas, nondum tamen finaliter decisas Lites, Causantes, si vel ambae Partes, vel Jure conventae saltem Provinciales fuerint, vel de re Jurisdictioni Provinciali subjecta agatur, non alibi, quam coram Comitatu Foris Provincialibus, servatis de Jure servandis, promovere poterunt. Et quia

Quarto: Memorati Comitatus Magistratus adinstar aliorum Comitatum Jure etiam Gladii gaudebit, igitur in solerter persequendis ac pro demerito etiam puniendis Praedonibus aliisque Malefactoribus omnem Laborem & Industriam pariter impendent, quo taliter in Syrmio quoque & Slavonia intrinseca quies & tranquillitas restabiliatur, Malefactoresque condigna & promerita poena puniantur. Quem in finem Comitatus in bono ac securo Loco, Ipsi per Commissionem nostram assignando, etiam Carceres pro Delinquentibus, sub bona Custodia & provisione servandis, habebit, & reliqua etiam ad exercitium Juris Gladii necessaria requisita procurabit.

Quinto: et cum Suprafatis Regiis Commissariis nostris ex peculiari Gratia & Clementia nostra facultatem hac vice benigne concessimus, ut ad citius atque facilius in illis partibus reducendam publicam quietem & tranquillitatem generalem Amnystiam pro Praedonibus in Libertate adhucdum constitutis, consequenter sub Judiciaria potestate nondum existentibus, Altissimo nomine nostro eo modo publicare possint, ut praefigendo illis Terminum, intra quem semet coram Ipsi vel Superioritate sua sistere debeant, & ut tales, qui semet sponte sistent vel Militaria Servitia statim amplectantur, vel deposito praevia Juramento, quod deinceps a Praedociniis & aliis maleficiis penitus abstinere & domi suae Constanter permanere velint, semet in unam vel alteram pagensium Communitatem, inscribi curare teneantur: Igitur hujus quoque effectuationi omnimode intentus erit Magistratus.

Sexto: Siquidem praefatus Comitatus, quamvis Regno nostro Croatiae caeteroquin incorporabitur, suam attamen Contributionem praestare & illoca-